ad persecutiones et odia conuertunt. De quibus adhuc sequitur: Sicut aspidis et obturantis aures suas. Aspidum serpentum talem esse naturam, cum a uenefico incantantur, unam aurem cauda obturat, aliam terrae fortius applicat, ut uocem incantantis non audiat et a furore suo mitescat. Recte ergo iudei aspidi comparantur, qui cordis aures malicia obturantes, uoces propheticas de Christo noluerunt audire. Heretici quoque recte serpenti uel aspidi assimilantur, qui ueneno serpentis antiqui sauciati, aurem cordis contra iusticiam obturauerunt, ut nullius doctoris uel predicatoris uerba ualeant ad salutem recipere. Unde sequitur: Quae non exaudiet uocem incantantis sapienter. Incantantor uel ueneficus est aliquis predicator qui sapienter incantat cum peccantibus suam dampnationem annuntiat, sed illi non exaudiunt, quia magis eligunt in peccatis permanere, quam aurem cordis predicatorum monitis accommodare. Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum. m. l. c. d. Dentes iudeorum uel hereticorum insidie sunt ipsorum, quibus detrahendo quasi mordendo illi quidem dominum Christum, hi uero uitam iustorum supplantare conabantur. Iudei ergo serpentes et aspides erant, dum uenato dolo dominum interrogarent: Magister, scimus quia uerax es, et cetera. Leones erant, dum aperte seuientes et quasi rugientes ad mortem crucis eum exposcebant. Deus ergo dentes eorum in ore ipsorum contriuit, quia insidias eorum in ipsis suis conatibus annullauit. Molas leonum confregit, quando excubiis quas contra eum proferebant repercussos computabat. Hoc idem sentiendum de hereticis contra corpus Christi. Hi per molas leonum illos significent qui in necem domini consurgere temptauerunt, qui et leones erant quando cruento ore crucifige crucifige clamabant. Sed molae in ore eorum confringebantur quando dicta eorum falsa esse conuincebantur. Ad nihilum deuenient tamquam aqua decurrens, id est cito deficient sicut aqua torrentis cito dilabitur. Intendit arcum suum donec infirmentur. Hic clementia diuinae uirtutis ostenditur, cuius arcus tenditur ad salutem, et tamdiu terret malos donec infirmati consentiant et ad confessionis salutem meliorata se mente conuertant. Sicut cera quae fluit auferentur. Hic exponit eos qui perfidia faciente obturati sunt, ut illa cordis duricia eorum sicut cera liquefacta dispereat. Uel dicit auferentur, intelligitur a conspectu domini, quando in gehennae tormenta mittendi sunt. De quibus et sequitur: Supercecidit ignis et non uiderunt solem. Ignis super impios cadit, sed sol igne cadente non cernitur, quia quos illos gehennae flamma deuorat, a uisione ueri luminis caecat, ut et foras eos dolor cruciet et intus poena caecitatis obscurat, ita ut solem uerum, id est dominum Ihesum Christum, uidere non possint. Unde et ipsi in iudicio dicturi sunt: Sol non ortus est nobis, et iustitiae lumen non luxit nobis. Priusquam intelligerent spinae uestrae rhamnum. Uel sicut alia tradicio dicit: priusquam producant spinae uestrae rhamnum. Rhamnus spinae genus quae primum in herba mollissima crescit, deinde durescit in arboris firmitatem. Hoc ergo iudeis haec sententia comminatur, ut prius absorbeantur quam longa aetate eorum malitia conualescat; sequitur celeritas perditionis eorum. Sicut uiuentes sicut in ira absorbet eos. Benedixit sicut uiuentes qui uiuere uidentur et mortui sunt, sicut et uidua uiuens in deliciis mortua est. Sic in ira dicit, id est tamquam iratus. Non uere iratus, qui de ipso scriptum est: Tu autem domine uirtutum cum tranquillitate iudicas. Quod dicit absorbet eos, subitum eorum significauit interitum, quia quanta domino in sustinendo patientia fuit, tanta erit percussio in celeritate iudicii. Laetabitur iustus cum uiderit uindictam impiorum. Laetatus est iustus, id est animo liber est, unde uera laeticia semper exurgit. Et uidebit uindictam impiorum cum eos respexerit talia facere unde semper debeant formidare, quia torquente conscientia unusquisque in se probatur implere uindictam. Manus suas lauabit in sanguine peccatoris. In peccatore morientium sanguine iusti lauant manus, quia dum eorum poena conspicitur, conspicientis uita mundatur, et post excidium peccatorum gloriosa uita atque opera resplendent iustorum. Et dicet homo: Si utique est fructus iusto. u. e. d. i. e. i. t. Ac si diceret aliquis homo fidelis: Si utique est fructus iusto, cui affirmatiue respondendum est: Est utique fructus, et ille utique est deus iudicans eos in terra. Id est si iusti et iam hic bonorum suorum praemia consequuntur, manifestum est et in hac terra eis iudicante domino, qui eis habet suorum fructum reddere laborum.

Per huius tituli incorruptam inscriptionem manifestat regni domini incommutabilem firmitatem. Domus enim custodita monumentum ubi triduana morte dominus requieuit a iudeis custoditum designat.

Eripe me de inimicis meis deus meus. Hic se a diabolo uel iudeis eripi proposita humilitate deprecatur

Licenza: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. 123 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos (http://www.e-codices.ch/it/csg/0312/123)